

os numeros inuenies, quorum primus gradus, secundus minuta eius signi denotat, Isti enim gradus & minuta sic reperta, sunt ueri loci illius planetæ, gradus & minuta ad meridiem illius diei. Locus autem uerus caudæ draconis Lunæ semper ex oppositio signo loci ueri capitis draconis Lunæ reperitur, & in consimilis uumeri gradu.

Verum locum Solis & Lunæ, atq; quinque planetarum, capitis caudæq; draconis Lunæ ad quancuncq; diei horam atq; momentum elicere. Canon V.



Quia in ephemeridibus motus Solis & Lunæ, ac quinque planetarum, item capitis caudæq; draconis Lunæ ad meridiem diei, cuius numero ascribuntur, supputati sunt, constetq; quolibet diei momento motus eorum uariari, ob continuum sphaerarum omnium motum, conueniens erit hoc in loco, generalem tradere modum, quo cuiusq; planetæ motus omni momento ex ephemeride excipiat, & hoc per regulam proportionum uulgatissimam in hunc modum. Scribatur primo loco numerus 24, horarum diei naturalis, secundo loco motus diurnus planetæ, qui ex subtractione motus tui diei à motu eiusdem planetæ diei immediate subsequenti, si directus fuerit, aut è contra, si retrogradus fuerit, colligitur. Tertio loco tempus in horis & minutis ad quod motus uis. Quibus numeris ita ad regulam proportionum dispositis, multiplicetur secundus per tertium, uel è contra, & productum diuidatur per primum, tunc quotientem adde, si planeta directus fuerit: uel subtrahe, si retrogradus à motu in ephemeride tui diei scripto, & proueniens erit locus planetæ uerus, ad tempus tuum propositum.

Motum horarium cuiusuis planetæ doctè colligere. Canon VI.



RO motu horario Planetæ exarata est tabula sequens, cuius usus talis erit: Collige ex ephemeride motum diurnum tui planetæ, cuius horarium quæris, per subtractionem motus minoris à maiori secundum canonis præcedentis doctrinam, hunc motum diurnum quære in hac tabula, in primo ordine numerorum ad sinistram, qui gradibus & minutis motus diurni debetur, mox enim ad dextram eiusdem tabulæ reperies minuta & secunda, uel secunda & tertia, motum scilicet horarium tui planetæ: hac tamen conditione, si motus diurnus gradus habuerit, erit primus numerus minuta, secundus secunda. Si uero minuta habuerit, erit primus numerus secunda, secundus tertia, iuxta titulorum in capite tabulæ positorum denotationem.

A iij Tabula